

tionem. Quod sic accipe: Quando fides credit per mortem Christi peccata nostra esse remissa seu deleta, tunc ad ordinationem & decretum Dei: quando vero adhuc post mortem Christi peccata nobis remitti statuit: tum ad executionē decreti divini respicit. Clarius: Quando credimus peccata nostra esse remissa seu deleta, tum respectus est ad acquisitionem, quatenus nimirum Christus passione & morte sua nobis perfectam justitiam & remissionem peccatorum acquisivit: quando uero credimus post mortem Christi nobis peccata remitti, tum respicitur ad applicationem, quatenus nimirum justitia Christi morte ipsius tanquam precio acquisita credenti applicatur. Nulla igitur hic pugna, nulla contradictionis, siquidem haec duo non dicuntur respectu unius & ejusdem, sed diversorum.



Disp. XXVII.